

theologica referatur tum ad verum quoddam antecedens tum etiam ad verum quoddam consequens. Hanc enim intelligentiam antecedit verum divinitus revelatum cuius intelligentia quaeritur; et eandem consequitur verum quoddam theologikum ex ipsa intelligentia ortum.

In primis ergo illud omnino retinendum est quod intelligentia theologica *secundum se* neque vera est neque falsa. Nam, uti dictum est, haec intelligentia ad primam intellectus operationem pertinet, sed veritas vel falsitas formaliter nisi in secunda operatione non invenitur. Qua de causa, qui solam intelligentiam considerat, eam dicere potest perfectam esse vel imperfectam, proportionatam vel analogicam, claram vel obscuram, aliaque eiusmodi; qui autem quaerit utrum vera an falsa sit intelligentia, non solam intelligentiam considerat sed etiam ad subsequentem intellectus operationem accedit, qua quaeritur *an sit*, ponderaturque evidentialia, atque proferitur iudicium.

Deinde, omne quod intellectu conspicimus, etiam verbo quodam interiori dicimus, exprimimus, manifestamus. At aliud est causam seu rationem conspiciere, aliud vero evidentialia sufficientiam. Quare duplex est verbum interius. Aliud enim incomplexum dicitur quod res per conspectam causam seu rationem definitur; aliud autem complexum dicitur quo id, quod definitum est, existere affirmatur vel negatur. Et ideo sicut et ipsa intelligentia primae operationis *de se* neque vera neque falsa est, ita etiam verbum interius incomplexum, quo haec intelligentia exprimitur, *de se* neque verum est neque falsum.

Tertio, quod verbo interiori concipimus, etiam exterioribus vocibus exprimimus; et cum illud verum vel falsum esse possit, etiam per metonymiam ipsae voces dici solent verae vel falsae; qui tamen usus in abusum vergere potest, si magis ad voces ipsas quam ad intentionem loquentis attenditur. Si enim deest interius verbum complexum, quo vel affirmatur vel negatur, voces exteriores nihil manifestant nisi verbum incomplexum, quo consideratur vel definitio vel hypothesis, vel etiam recitatur alterius cuiusdam sententia; et tunc quamvis multae sint voces, quamvis simul sumantur, quamvis adsint «est» et «non est», tamen neque verae neque falsae sunt ipsae voces, cum non assertionis sed considerationis vel recitationis intentionem manifestent. Quibus perspectis, con-

sed, cum singula seorsim intelligat, simpliciter deest modus intelligendi comprehensivus.

Alterum ergo supponamus qui non solum totam scripturam perlegerit et singula eloquia rite intellexerit sed etiam gressum quemdam ulteriorem inceperit. Diversa enim scripturarum loca inter se comparat; a differentiis mere accidentalibus praescindit; idem essentialiter in multis locis dictum fuisse invenit; quod essentialiter idem ducit, accurate concipit et termino tecnico exprimit; et cum totam scripturam comparando, praescindendo, inveniando, exprimendo pereurrerit, denique tandem terminis novis et technicis idem verum revelatum eodem sensu intellectum exprimit.

Quo in casu, etsi idem omnino verum exprimatur, etsi eodem sensu idem verum intelligatur, nihilominus aliter intelligitur. Qui enim prius multa seorsim intellexit, nunc multa simul et per modum unius intelligit. Qui prius non solum essentialia intellexerit sed etiam omnia accidentalia (puta quis in singulis eloquiis scripturasticis loquatur, quibuscum, qua occasione, quibus adiunctis, quo fine determinato, quasnam enarraverit actiones, quibusnam imaginibus, figuris, parabolis usus sit, quasnam excitaverit emotiones, sentimenta, affectus), nunc ab accidentalibus fere omnibus praescindit et ad sola essentialia attendit. Qui prius nisi vocalibus et conceptibus biblicis non utebatur, nunc nisi terminos novos et technicos et nisi conceptus remotos atque essentielles non adhibet.

At tertius iam ante oculos mentis sistatur, qui et ulterius inquirat. Hic enim non solum totam scripturam perlegit et singula intellexit et diversa comparavit et ab accidentalibus praescindit et essentialia invenit, concipit, technice expressit, sed etiam profundius scrutatus est. Ipsa enim vera revelata, etiam cum ad essentialia sint reducta, quemadmodum sibi constant, non facile perspicuntur. Ita unus est Deus ut tres sint personae. Ita Christus est Deus ut tamen sit homo. Ita omnia ex gratuita Dei voluntate dependent ut nisi nostris meritis non concedatur corona caelestis. Et sescenta alia quae novum quoddam intelligendi genus postulant. Alia enim est exegesis systematica eorum quae in scripturis dicuntur; alia autem est intelligentia ipsarum rerum atque actionum, quae in scripturis affirmantur. Qui essentialia eorum quae in scripturis dicuntur intelligit, exegesis systematicam facit et problemata theologia invenit. Qui intelligentiam ipsarum rerum quaerit, quae in scripturis verae esse docentur, viam theologicam ingressus est. Quae quidem via qualis et quotuplex sit, in sectione subsequente et quarta dicemus; sed illud statim perspicendum est quod, quamvis theologus aliud intelligendi genus introducat, idem verum revelatum intelligere studeat; neque per intelligentiam theologicam sensus veri revelati mutatur, sed ipsum verum revelatum, eodem sensu intellectum, plenius, clarius, ordinatius perspicitur.

tifica rerum cognitio, et ideo argumenta nobis maxime certa ex hac communi cognitione incipiunt ut remotiora nobisque obscuriora demonstrent.

Cum vero scientia sit, non tantum causarum cognitio, sed rerum per causas intelligentia, primo motui scientifico accedit alter quo ex causis inventis incipitur et ad res in causis intellectas terminatur; qui quidem motus dicitur et 1) *synthesis*, quia rationes fundamentales adhibentur tum ad res definiendas tum ad proprietates earum deducendas, et 2) *via compositionis*, quia causae adhibentur ad res producendas vel constituendas, et 3) *via doctrinae seu disciplinae*, quia ex conceptibus fundamentalibus et maxime simplicibus incipit ut, aliis pedetentim adiunctis, ad intelligentiam totius scientiae ordinale procedat.

Uorum exempla qui quaerit, inter se comparet historiam scientiae physicae vel chimicae et manuale quoddam quo talis scientia docetur. Nam ex historia constat has scientias ex sensibilibus initium sumere, in sensibilibus examinandis proficere, de sensibilibus quam maxime manifestis probationes efficere. Et tamen si manuales libros adeas, aliud non invenis initium nisi tabulam elementorum periodicam unde tercentena millia compositorum derivantur vel, apud physicos, leges motus Newtonianas, geometriam quamdam Riemannianam, virosque « quantorum » operatores. Qui enim inquit vel investigat vel probat, ex manifestis incipit; qui autem docet, ex iis incipit conceptibus quorum intelligentia intelligentiam aliorum non praesupponit.

Cui duplici motui accedit tertius. Non enim semel pro semper perficitur duplex motus supra descriptus sed vicibus repetitis. Neque idem duplex motus repetitur, sed qui tempore posteriores investigant, remotiores atque veriores inveniunt causas, unde et primus motus anterior corrigitur et alter motus anterior interdum reformatur penitus. Quae cum ita sint, tertius quem diximus motus scientificus nihil est aliud quam ipsa scientiarum historia, quae unitate sua concreta totam eorum successionem comprehendit, quae saeculorum decursu sive in via resolutionis sunt inventa sive in via compositionis ordinate sunt docta.

Iam vero sicut theologia ipsa analogice se habet ad scientias naturales, ita ad triplicem scientiae naturalis motum analogus invenitur triplex motus theologicus.

Nam in primis, sicut in naturaliter notis existit prior quaedam atque communis rerum apprehensio, qua res ipsae manifeste cognoscuntur quamvis causae earum nos lateant, ita etiam in supernaturaliter notis existit prior quaedam et omnibus fidelibus communis cognitio, qua omnia divinitus revelata esse vera certissimi credimus, quamvis nullam adhuc intelligentiam theologicam assecuti simus.

Deinde, sicut ex communi atque manifesta rerum cognitione incipit motus scientificus ad causas inventiendas, definiendas, atque probandas, ita etiam ratio humana per fidem illustrata ex ipsis fidei veritatibus incipit et, cum sedulo, pie, sobrie quaesierit, aliquam mysteriorum intelligentiam assequitur (DB 1796).

Tertio, sicut qui theoriam scientificam proponit, omnes causas iam ante inventas systematice definit, atque ordinate ex simplicioribus magisque fundamentalibus incipiens, per intermedia atque composita ita procedit, ut denique tandem ipsas res, prout concrete existunt atque operantur, secundum omnes earum rationes causasque coniunctas clare distincteque cognoscat efficaciterque regere possit: ita etiam qui non solum singula vera revelata aliquatenus intelligit sed etiam ad syntheticam quamdam omnium intelligentiam pervenit, omnes omnium quasi rationes causasque systematice definit, atque ordinate ex simplicioribus magisque fundamentalibus incipiens ita per quaestiones intermedias progreditur, ut denique tandem omnia quae ipsum Deum Deique creaturas respiciunt quasi secundum intimas eorum rationes causasque ultimas, systematice exponere possit².

Quarto, cum homo sit in genere intelligibilem ut potentia tantum, haud fieri potest ut integra scientia hominibus possibilis ita summam perfectionem in una quadam aetate pertingat, ut caeteri homines, per reliqua saecula terrestria, nihil aliud esse possint quam humiles antecessorum discipuli. Qua de causa, et in naturaliter notis aliis aliis succedere hypotheses theoriasque videmus, et in supernaturalibus inter omnes constat non solum theologiae sed etiam dogmatum evolutionem quamdam existisse. Neque ipsi nos iam ad sum-

² Quo sensu theologia rationes causasque investiget, alibi exposuimus. *De Constitutione Christi ontologica et psychologica*. Roma, 1956. Pp. 42-49.

num perfectionis theologicae apicem pervenisse credimus, neque vanum aliquando fore atque supervacaneum exspectamus, una cum concilio Vaticano orare et optare ut « crescat ... et multum vehementerque proficiat, tam singulorum quam omnium, tam unius hominis quam totius ecclesiae, aetatum ac saeculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia ... »¹⁰.

Quorum exempla qui quaerit, patres theologosque legat. Nam primus motus analyticus praecipue patres occupabat tum in veris et revelatis singillatim intelligendis tum in haereticis refellendis. Alter autem motus syntheticus ita medio aevo evolvebatur, ut primo sacrae scripturae testimonia patrumque sententiae ordinate colligerentur et deinde, ministrante ancilla philosophica, summae de theologia, ordine doctrinae seu disciplinae constructae, finem syntheticum prosequerentur. Recentiori denique aetate invaluisse videtur motus quidam commixtus qui omnium simul necessitatibus consuleret atque subveniret; unde in manualibus theologiae libris motum analyticum invenies in argumentis ex conciliis, ex sacra scriptura, ex patribus, ex theologorum consensu, motum autem syntheticum in ipsa thesium serie, in terminis definiendis, in argumentis ex ratione theologica, et in difficultatibus solvendis.

SECTIO QUINTA

Comparantur motus analiticus et syntheticus.

Quo clarius eluceat via qua ad finem theologicum procedatur, inter se comparandae videntur pars motus analytica et eiusdem pars synthetica. Et ne exempla concreta desint, a summis brevissimisque lineamentis theologiae trinitariae incipiatur.

In via ergo analytica (quae etiam resolutionis, inventionis, et certitudinis est) *primae* sunt missiones Filii atque sancti Spiritus quas narrat Novum Testamentum, *secundum* est dogma trinitarium ut simul affirmantur tum contra Sabellianos tres realiter distincti tum contra Subordinationistas unus solus Deus (DB 48-51), *tertia* est trium consubstantialitas (DB 54, 86), *quarta* sunt proprietates personales reales

¹⁰ DB 1800. Cf. AAS 42 (1950), 568: uterque revelationis fons « tot tantisque continet veritatis thesauros, ut nunquam reapse exhauriantur ».

(Cappadoces), *quinto* perspicitur has proprietates esse relativas et has relationes esse originis, *sexto* harum originum intelligentia quaeritur et maxime invocatur analogia psychologica.

In via autem synthetica (quae etiam est compositionis, doctrinae, disciplinae), *primo* consideratur unus Deus¹¹, *secundo*, in Deo uno intelligente, sciente, diligente ponuntur emanationes intelligibiles¹², *tertio*, in emanationibus fundantur relationes¹³, *quarto*, praecognitis emanationibus et relationibus¹⁴, considerantur personae in communi¹⁵, *quinto*, considerantur personae singillatim¹⁶, *sexto*, comparantur personae ad ea quae ante personas considerata sunt, nempe, ad divinam essentiam¹⁷, ad relationes seu proprietates¹⁸, ad actus notionales seu emanationes¹⁹, *septimo*, comparantur personae et inter se²⁰ et ad nos²¹.

His ergo positis, ad comparisonem proceditur.

Et in primis elucet eadem realiter considerari tum in via analytica tum in via synthetica. Non enim aliae sunt missiones Filii et Spiritus quae in Novo Testamento narrantur, et aliae quas exponit S. Thomas in q. 43 primae partis. Neque alia est generatio divina de qua egit S. Athanasius, et alia realiter est illa generatio de qua tum ante personas systematice conceptas (q. 27) tum iterum post (q. 41) egit S. Thomas. Et idem omnino de caeteris dicendum est, cum motus syntheticus nihil sit aliud quam ordinata expositio eorum quae in via analytica sunt inventa atque demonstrata.

Deinde, quamvis de hisdem in utroque motu agatur, tamen alio et alio ordine ponuntur. Quod enim in alio motu prius invenitur, in alio posterius consideratur. Ita ad missiones terminat Aquinas, et ex missionibus incipit Novum Testamentum. Iterum, ad analogiam psychologicam terminat in-

¹¹ *Sum. theol.*, I, qq. 2-26.

¹² *Ibid.*, q. 27.

¹³ *Ibid.*, q. 28.

¹⁴ *Ibid.*, q. 29, *Introd.*

¹⁵ *Ibid.*, qq. 29-32.

¹⁶ *Ibid.*, qq. 33-38.

¹⁷ *Ibid.*, q. 39.

¹⁸ *Ibid.*, q. 40.

¹⁹ *Ibid.*, q. 41; *cf.* q. 27.

²⁰ *Ibid.*, q. 42.

²¹ *Ibid.*, q. 43.

telligentia est; neque tantum communiter est intelligendi desiderium ut proprius hic finis facile hominum mentes ab aliis considerationibus revocet. Viae autem syntheticae valor eiusmodi est ut initio non perspiciatur, neque in ipso fine adepto plene aestimari possit, nisi accedant comparationes concretae, ut cluceat quantum inter se distent mens quidem certissima sed scientiae vacua et mens cuius certitudines informat, ordinat, dirigit, synthetica quaedam omnium apprehensio. Viae denique syntheticae securitas atque soliditas non criteriis ordinariis mensurantur; qui enim certitudinem quaerit, quam plurimos afferre solet testes communis fidei communisque doctrinae; qui autem intelligentiam quaerit, multitudinem tutius negligat et quam sapientissimum audiat; qua de causa. sancta mater ecclesia nobis studiorum ducem proponit non omnes pariter theologos, neque magis communes sententias, sed unicum S. Thomam.

Octavo, aliter in via analytica, aliter autem in via synthetica ad adversariorum sententias attendendum est. Qui enim adversarios refutat, ad ipsam eorum doctrinam secundum proprium eorum sensum attendat necesse est; secus fictos hostes facilius vincere reputaretur. Et ideo in via analytica, ubi amoventur dubitationes omnes et plena quaeritur certitudo, adversariorum sententiae amplitudine quadam historica sunt exponendae. Qui autem ipsos errores extirpare intendit ne alii decipiantur, radicem quaerat unde error speciem veritatis sibi assumat, ibique securim applicet; neque quicquam refert utrum hic illeve adversarius umquam ad illam radicem explicite vel animadverterit, cum de intima huius illiusve mente minime agatur sed de mentibus vel nunc existentibus vel futuris. Et ideo in via synthetica non tam ad adversarios quam ad radices errorum attendere debemus.

Duas ergo distinximus vias, aliam analyticam, aliam syntheticam. Quae quidem, quamvis de iisdem rebus tractent, tamen ordinibus contrariis et oppositis procedunt, conceptibus formaliter distinctis utuntur, diversas probationes adhibent, aliter et aliter ad notas seu censuras theologicas se habent, et diversimode adversarios erroresque considerant. Cur? Quia « cuilibet actus exsequendus est secundum quod convenit ad suum finem. Disputatio autem ad duplicem finem potest ordinari »²³. Quamvis enim idem sit ens quod et essentiam et

²³ *Quodl.*, IV, n. 18.